



1/48

148

II, 48.



ORATIONEM.

QUA.

SERENISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO.

DOMINO.

FRIDERICO.

AUGUSTO.

DUCL SAXONIÆ. JULIACI. CLIVIÆ. ET.  
MONTIUM. ANGRIÆ. ET. WESTPHALIÆ. LAND-  
GRAVIO. THURINGIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ. UT.  
ET. SUPERIORIS. AC. INFERIORIS. LUSATIÆ. CO-  
MITI. PRINCIPATUS. HENNEBERGICI. COMITI.  
MARCÆ. ET. RAVENSBERGÆ. DOMINO.  
RAVENSTEINII, &c.&c.

CONSENTIENTE. ET. ADPROBANTE.

ACADEMIA. LIPSIENSI.

IN. TEMPLO. ACADEMICO.

AD. DIEM. XIX. MARTII.

SOLENNISSIME. PARENTABIT.

CHRISTIANUS. ULRICUS. à KOSCHENBAHR.  
EQUES. SILESIUS.

INTIMAT.

FACULTATIS. PHILOSOPHICÆ.

DECANUS.

L. CHRISTIANUS. LUDOVICI. P. P.

LIPSIÆ,

Literis JOHANN. ANDR. Schau.



Vos rerum omnium unus ac summus arbiter Deus, ad Rerum publicarum gubernacula, celloque in loco, velut in specula constituit, Celsissimos Principes, Imperatores, Reges, Duces, si vel ipsi literati sunt ac sapienter instituti, vel literatos ac sapientes alunt & a consiliis habent, vel utroque nomine excellent; multum sive ad fines imperii sui iusto titulo proferendos, sive ad altissimam pacis & otii tranquillitatem populis servandam, & conferre posse & semper contulisse, non minus sapientium suffragia, quam Imperantium luculentissima exempla confirmant. Cum in Curia Pompiliana, ut Imperatorem crearent, Amplissimus Ordo confedisset, omnis Senatus Tacito Augusto acclamavit: & *quis melius quam gravis? & quis melius, quam literatus imperat?* Divini Platonis oraculum: *tum florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur*, M.A. Antonino Philosopho semper in ore fuisse, historiarum annales testantur. Quod ut fallat, tantum abest, ut potius ipsa aeterna Sapientia sapienter institutis, & Sapientium consilia salubria admittentibus, imperia atque regna adscribat: *per me, inquit, Reges regnant, & Dominatores decernunt iustitiam: per me Principes gerunt principatum, & ingenii omnes Judices terræ*. Vis exempla? ad summum fastigium exivit Macedonum regnum is, qui emensus est omnia, ad quæ Liber & Hercules accesserunt, Alexander M. At quid de eo historiarum monumenta? nullum fuisse philosophum, poëtam, oratorem, mathematicum, architectum aut pictorem eximium, cujus videndi, alloquendi, honorandi, ditandi desiderio non teneretur: nonnullis statuas erexisse, aliis ingentem pecuniarum summam largitum fuisse, tanta munificencia, ut citius opulentissimos Darii thesauros exhaurire potuisset, quam lux erga illos liberalitati satisfacere. Alexander Severus doctrina optimus, bello fortissimus Imperator, victis triumphisque Persis generi humano placidissimam pacem genuit. At quid historiarum monumenta? apud gentium aliarum legatos, cum plus semel, tanquam de re maxime ad dignitatem & felicitatem Imperatoriam pertinente gloriatum fuisse: *rarus esse in orbe viros eruditos, quos non esset alloquutus, aut qui ipsum Literis non salutassent*. Quot & quam iustos triumphos egit David de hostibus suis, Judaicæ genti altissima tranquillitate recuperata? Quot is, & quantas provincias ad regnum Iliacitarum adjunxit? Quam blanda Alcedonia populo Dei fecit ejus Illustrissimus Successor & regni hæres Salomo? Atqui illum omnes doctores suos, hunc omnes mortales sapientia doctrinaque longe superasse, historiæ sacræ loquuntur. Hæc cum intellexerunt multi, qui ad istam dignitatem in his terris divinitus elati sunt, qua sublimius & præstantius inter homines nihil est, scholas, ut pote doctrinæ & virtutum officinas, feracia artium ac disciplinarum feminaria, Musarum & Musiniatorum domos, sibi summo semper in loco esse vulerunt: alii Gymnasia & Academias instituerunt, constitutas magnificè dotarunt, dotatas potenti præsidio tutati sunt, ut Manfvetissimus Princeps Theodosius Junior Byzantinam in Græcia, Antiochenam & Laodicæam in Asia, Carthaginensem in Africa, Bononiensem in Hetruria: alii literatos eruditione excellentes & majorum gentium philosophos regalibus divitiis ditarunt: perennabit memoria M. Pompeji, quod ex Asia redux, cum omnes bonarum artium Professores audivisset, singulis auri talentum obtulit; Posidonium insuper philosophum, graviter morbo decumbentem invisit, faciesque Imperii literis submisit, cui se Oriens Occidensque submiserat: alii, ut ipsi scholas frequentarent, infra Majestatem suam esse haud arbitrati sunt. Notabile exemplum in Romana historia Julius Cæsar præbet, qui post Pompeji necem, cum in Ægyptum (quo jam præcis temporibus, tanquam ad mercaturam bonarum artium Solon, Thales, Pythagoras, Plato multique alii sapientiæ proceres ex omnibus orbis partibus confluerant) appulisset, urbem Alexandriam perambulans, cum reliqua studioforum confertissima corona, philosophos in publicis auditoriis & gymnasiis audit: alii filios suos in ipso surgentis pueritiæ flore, in ipsa prima pudoris purpura, viris sapientiæ & eruditionis laude inclity studiose formandos gubernandosque tradiderunt. Sic traditus fuit Ulysses Alcino, Achilles Chironi, Agamemnon Nestori, Menelaus Telemacho, Hector Polydamanti, Cyrus Xenophonti, Dion Platoni, Hieron Simonidi, Epaminondas Lyfidi, Alcibiades Socrati, Scipio Panætio, Augustus Apollodoro, Trajanus Plutarcho, Antoninus Scauro, Constantinus Lactantio, Salomo Nathani, Joabab Jojadæ: Sic alii aliis traditi sunt consilio saluberrimo. Nam si tanti interest à puero formari & severiore disciplina imbui etiam in plebeis, quid de Hercum & Principum liberis ad purpuram natis, & ad patriæ gubernacula formandis, imbuendis, maturandis statuum esse censemus? si tanta cura parentes puerum educant unius prædii hæredem?

dem, qua tandem solitudine, quo studio educari par est eum, qui non unis ædibus, sed tot populis, tot provinciis, tot civitatibus instituitur, aut omnium olim commodo futurus vir bonus, aut omnium exitio malus? Quid enim refert Principem natum, nisi & bene instituitur? bene autem instituitur, si tum cœperit, cum se nondum Principem esse intelligit, & ea ætate est, qua mollis ceræ instar formari se talem patitur, qualem æterna Dei lex depingit, Pater vult, cives vovent, literati optant esse in posterum; nempe Principem pium & justum, filium bonum, Imperii heredem, literatorum asylum, Republicæ robor & fundamentum stabilitatis. Sed proferunt Principes, qui *ἀμωροι* illiterati & ipsi, & literatorum oses Rempublicam, etiam in las-  
 flētissimo rerum statu, servarunt, servatamque bene administrarunt. Enim vero quod uni & alteri aliquando contigit, num omnibus semper contingere existimandum est? Fœda tempestas cum grandine ac tonitribus cœlo dejiciatur, nauclerus imperitus fluctus furentes eluctatur: num idcirco navis gubernandæ peritiam negemus nauclero esse utilem, quod sine ea qui fuit, aliquando navem in portu salvam collocaverit? Incidat quis in morbum, non curatur & convalescit: vel & curatur temeraria medicina, & convalescit: negligemus igitur medicinam probatam ejusque nobilem artem, quoniam sunt, qui sine earum ope fanantur? Nihil minus; nisi si ea, quæ in casu sita sunt, anteposimus iis, quæ ratio gubernat. Quod idem de Eruditione Principum dicendum est. Nam, ut illud demus, sine ea multos esse laudem consecutos, non & hoc dabimus fore, ut sine eadem consequi omnes possint. Quam ob rem sicut omnino est, cur effusissime lærentur omnes boni, tripudient cives, gratulentur sibi Musæ, quoties audiunt PRINCEM JUVENTUTIS in disciplinam Doctorum & Ductorum tradi; quum vident in eo ingenium doctrinæ cupiditatem; cum vident gloriæ stimulo generosum pectus, sublimem & illustrem animam concitari, ut Linguarum, Sophiæ & Themidos adyta penitiora perlustret ita, ut quicquid in iis laboris collocatur, id totum in regionis salutem, civium splendorem, legum auctoritatem, virtutis præmium, bonarum literarum præsidium convertat; Sibi vero Serenissimæque Profapiæ æternæ famæ ac honoris templum erigat: sic nullus dubitabit, quin dolore tanquam ictu fulminis attoniti reddantur omnes, cum maestissima fama per aulas, academias, urbes, agros, perque regiones & regna discurrens increbescit: cheu! cheu! obiit Princeps Juventutis! obiit illustris Sapientiæ & virtutis alumnus! amor populi! Musarum delicia! Et hæc causa jam est magni in his oris & inconsolabilis luctus, acerbissimi sensus & doloris in piis lachrymas se effundentis; quod aula, urbs, academia, museum plangore & lamentatione compleantur; quod altaria, cathedræ, parietes pictos tapetes & aulea cum tegmine pullo commutent, quod purpurati incendant pullati. Nimirum tristissimus rumor aures perculit: PRINCEPS JUVENTUTIS obiit, pulcherrima Soboles ex Magni WITTEKINDI & BRENNI stemmate creta, Spes Patris & Patriæ! occidit Heliconis lucidissimum sidus, cheu! **FRIDERICUS AUGUSTUS**, *Dux Saxoniae, Fuliaci, Cliviae & Montium, Angriae & Westphaliae, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, ut & Superioris & Inferioris Lusatiæ, Comes Principatus Hennebergici, Comes Marcae & Ravensbergæ, Dominus Ravensteinii & reliqua.* Otristem & acerbum obitum! o jaçturam inæstimabilem, irreparabilem! Caute Marpesia durior sit, qui non totus in lachrymas disfluat, cujus aures infaustus hic percellit nuntius, de inopina ac præmatura ad beatas sedes abitione tam pretiosæ cimelii, in quod ab eo statim tempore omnium bonorum oculus defixus fuit, quo illud Serenissima Mater MARIA AMALIA, FRIDERICI WILHELMI, Magni Herois filia, ex MAURITIO WILHELMO, CELSISSIMO DUCE SAXONIÆ, *Academici nostræ Nutritio Clementissimo*, die 12. Augusti A.o. 1700. in lucem edidit. Cum enim in isto rerum apice, in istis superbissimis stemmatibus, architectrix natura corpusculum illi dedisset pulcherrimum, omnibus Venerum & Gratiarum muneribus condecoratum, in pulchro domicilio pulchrum hospitem habitare, non abs re divinabatur. Platonis & Scipionis Africani, qui ob divinas animi dotes supra humanæ fortis aleam fuisse creduntur, eximiam decoramque formam antiquitas propterea annotatam reliquit, quod hæc bonæ mentis aut argumentum, aut adjumentum esse solet. Sicut enim sub auroræ adventum fulgor quidam tremulus in montium cacuminibus ludit, qui venturum jam solem prænunciat: ita formæ venustas veræ, pulchritudinis in animo eminentis indicium esse solet. Nec prædivinatio fefellit in FRIDERICO  
 AUGU-

AUGUSTO, exeruit se, nescio quid placida & pacifica mentis, nescio quid augusti atque heroicae Virtutis, nescio qui divina sapientiae igniculi. Quam nihil in eo non futuro Principe dignum! nihil humile, nihil feroculum! alacres & eruditi oculi, blanda frons, os verecundum, sermo modestus, status elegans, gestus compositi. Dum vix puer esset, nihil tamen praese tulit puerile, sed in ipsa infantia Paterna Avitaeque virtutis imaginem ac characterem. Et quod vel maxime nos ad spem de eo summam firmabat, hoc ipsum erat, quod praeter istam naturam, puta corporis animique bonitatem, contigerit illi habere Patrem MAURITIUM WILHELMUM, Principem Optimum & Sapientem, qui non convenire cuiquam potestatem aliis, quibus non melior esset, imperandi, pro divina mentis sagacitate videns, sequestra subinde regiminis cura, non solum ipse delectatur variis scientiis Principe dignis, potissimum Historicis, Heraldicis, Genealogicis; quibus in sublime eruditionis fastigium evectus tanquam Aquila in nubibus reliquis palmam ita praeripit; ut sicut antiquitas olim in mathesi unum Archimedem, in philosophia unum Platonem, in Poesi unum Homerum, in eloquentia unum Ciceronem, in medicina unum Hippocratem, in historia unum Tacitum; ita nostro tempore Europa in Genealogicis unum MAURITIUM WILHELMUM admiretur: non solum ipse literatos omnium disciplinarum ac scientiarum genere instructos fovet, ornat, familiari assatu dignatur, eruditionem magnificentissime remunerat, sed & impense curam gesit, ut FRIDERICUS AUGUSTUS peridoneorum doctorum fidei commissus a teneris unguiculis feliciter institueretur, ne tenellis animus prius inciperet virtutem odisse, quam nosse: Magnum Philippum imitatus, qui nato sibi Alexandro, non tam ob nativitatem filii laetari se testatus est, quam quod filio suo Aristotelem delegisset. Sed quaeres, quo successu: eo, quo laetior feliciorque sperari haud poterat. Semina literarum & Pietatis docta piaque manu in FRIDERICI AUGUSTI tenellam mentem mira fertilitate luxuriantem ipsa heulquam uberem in messem ilico, admirantibus omnibus, prorumpabant: hinc erat Caput Fidei & quibus ea probantur, dictorum Classicorum exacta cognitio: istinc linguarum, cum Latinae, tum exoticarum, Gallicae, Italicae & Hispanicae non modo insatiabile studium, & eximia notitia; sed & decora & summa cum venustate conjuncta pronuntiatio: illinc amor in scientiis & artes, in Geographiam, Historiam, Genealogiam, Architecturam Civilem & militarem. Quibus omnibus insigne auctoramentum & decus Probitas & cultura morum adiciebat. Nam postquam in academia campum haberet, in quo ingenua virtus decurreret, animus in dies magis virtutibus Principe dignis ad faeces & purpuram praeparabatur. Omnia tamen haec, quanta quanta fuerunt, qui non nisi primitias & altissimae Prudentiae aulicae praeludia fuisse intelligit, de FRIDERICO AUGUSTO longe adhuc augustiora ominatus est atque speravit. Sed heu! ut est nostra spes fallax & in casu posita; Quam suo tempore ex academia in aulam revertentem consummate eruditionis & sapientiae laude eminentissimum, jubilis & votivis acclamationibus profecuturi, Paternis Maternisque amplexibus restituere meditabantur Musae; Hunc morbus fatalis die 17. Febr. A. 1710. intercipit, jubilis in Lessum, votis in suspiria versis: decretorius ille dies illustrem animulam vitae aeternae nectar & ambrosiam mire anhelantem Deo, corpusculum vero sanctificatum humo decrevit, nobis solo nomine & sola fama relicta, tot virtutum & pulcherrimorum moliminum unica teste, sed in secula perennante, quam Generosissimus vir Juvenis, CHRISTIANUS ULRICUS & KOSCHENBAHREques Silesius gravissima & cultissima oratione Germanica, inter pressos hebilesque concentus, solennissime recolat. Quemadmodum vero Orator, ut solennitas haec in Templo Academico perageretur, ab Universitate obtinuit, ita haec ipsa decrevit in Corpore, circa horam IX in sacello Templi S. Nicolai congregando, actui interesse; ad quem etiam utriusque Reipublicae Patres conscriptos, nec non Generosissimos & Nobilissimos studiosos ea, qua decet, observantia & humanitate invitamus, nulli dubitantes, quin insuper in haec pia vota precesque nobiscum consensuri sitis: SERVET, CUIUS DECRETO STANT ET CADUNT, VIVUNT ET OBEUNT OMNIA, ILLUSTRISSIMUM PARENTEM! QUANTUM AETATIS FRIDERICUM AUGUSTO NEGAVIT, TANTUM MAURITIO WILHELMO ADDAT! SERVET EUM, IN QUEM JAM OMNIUM ANIMI DEFIXI SUNT; UNICAM SPEM PATRIAE, OCULORUM DELICIAS, FRIDERICUM AUGUSTUM, REGIUM PRINCIPEM JUVENTUTIS! JUBEAT PLANTULAM HANC RUTAE SAXONICAE VIKERE, PATRIAE FELICITER SUCCRESCERE; ET QUEM PROPE A TENERIS HAUSIT, PURISSIMAE EUSEBIAE ET MUSARUM SUCCIS VAVEM ODOREM IN SEROS USQUE ANNOS SPARGERE! SERVET FRIDERICUM AUGUSTUM, REGEM NOSTRUM POTENTISSIMUM, MAGNANIMUM HEROEM, PATREM PATRIAE! P. P. die XVI. Martii. A. M. DCCX.







Xg 3465, 40

vd 18



f

26

m.c.





# ORATIONEM.

QUA.

SERENISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO.

## DOMINO.

# FRIDERICO.

# AUGUSTO.

DUCI SAXONIAE. JULIACI. CLIVIAE. ET.  
MONTIUM. ANGRIAE. ET. WESTPHALIAE. LAND-  
RAVIO. THURINGIAE. MARCHIONI. MISNIAE. UT.  
T. SUPERIORIS, AC. INFERIORIS. LUSATIAE. CO-  
MITI. PRINCIPATUS. HENNEBERGICI. COMITI,  
MARCÆ. ET. RAVENSBERGÆ. DOMINO,  
RAVENSTEINII, &c.&c.

CONSENTIENTE. ET. ADPROBANTE,

## ACADEMIA. LIPSIENSI. IN. TEMPLO. ACADEMICO.

AD. DIEM. XIII. MARTII.

SOLENNISSIME. PARENTABIT.

CHRISTIANUS. ULRICUS. à KOSCHENBAHR,  
EQUES. SILESIVS.

INTIMAT,

## FACULTATIS. PHILOSOPHICÆ. DECANUS.

L. CHRISTIANUS. LUDOVICI. P. P.

LIPSIÆ,

Literis JOHANN. ANDR. Zschau.

ben. Also  
bringen  
ihre kömnet  
betribben  
schönheit  
t an ihren  
vielmehe  
blauhtig

